



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

81 Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

31 Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum super-
speraui.

Deficere
in aliqd
est in id
migrare.

Merito defectus ex desiderio, oculorum expectatio, constantia in tribulationibus, expectatio consolationis, abiectio inanium fabularum, & delectationum seculi, quæ meræ nugacitates sunt, & quæ sequuntur omnia à Caph incipiunt, quæ significat volam, vel manum. Quippe hæc omnia in nobis non à nobis sunt, sed à manu Altissimi: de qua dicitur. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. Defecit autem anima non à salutare, sed in salutare; quia præ desiderio, & amore, & expectatione deficit à seipsa anima, & fit spiritus. Est enim deficere, in id vnumquemque totis studiis migrare, quod diligit. Et Sanctus quisque nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis contendit viribus, illum gremio mentis fouet: illi se aperit, & effundit: & hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Sed ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Felix defectio vel desiderij, vel spei, quæ salutem à Christo Domino, vel ipsum expectat Saluatorem. Deficiant alij, si volunt,

Psal. 39.

IN PSAL. CXVIII. 455

lunt, respicientes in vanitates, & infan-
nias falsas: qui verè deficiunt, quia defi-
cientibus inhærentes à seipsis deficiunt.
At ego, & anima mea salutare, ac viuifico
defectu in salutare tuum deficiamus, quo ad
eius similitudinem, & immutabilem sta-
bilitatem proficimus. Quod non teme-
rè audeo, quia in Verbum tuum superspe-
raui, vel in ipsum Verbum, quod carne
vestiendum salutare expecto; vel in ipsam
salutis promissionem: quia verbum tuum
fidele est, nec perire potest, quia tu
Deus es.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium
tuum, dicentes: Quando conso-
laberis me?

DESCRIBITVR fidelis, & perseue-
rans expectatio opis, & consolationis
Diuinæ in afflictione. Oculi corporis
solent semper intenti esse, eo spectare,
unde suum bonum expectant. Idè oculi
seruorum in manibus dominorum suo-
rum, oculi ancillæ in manibus dominae
suae. Neque aliter oculi animæ. Pro-
pterea defecerunt, inquit, oculi mei, uti-
que mentis meæ, præ desiderio, & expe-
ctatione consolationis tuæ; intenti, ac de-
fixi in eloquium tuum, velut in syngra-
pham, & pignus promissionis tuæ. Desi-
derium eorum, & Actus, clamor est eo-
rum:

Oculis
defectus
tribuitur.
Primo ex
naturali
effectu.
Psal. 122.